

tiquo camerarius procurare solebat. Hi omnes, quantum ad equitaturarum suarum, procurementem spectat, pares peregrinis hospitibus erunt.

De priore Cluniacensi hoc constitutum est, ut ad procurandas equitaturas suas trecentos avenæ sextarios a decano de Scutiolis accipiat.

De camerario Cluniacensi cum omnibus sociis suis hoc decretum est, ut centum sextarios avenæ qui a decano de Sancto Victore debentur et alios centum de obedientia Bellimontis accipiant, addita avena quæ a venditoribus avenæ pro more in villa Cluniacensi exigitur, nihil ultra quantum ad avenam spectat requirat.

His præmissis, quod de vestimentis fratrum ordinatum est, ne processu temporis obliuione pereat, addendum est. Nescio enim quo casu, quando ad hoc pastorale officium accitus sum, nihil de his, sicut nec de reliquis pene omnibus exterioribus, ordinatum inveni. Camerarius enim, cui omnia exteriora imposta erant, tam rei familiaris inopia quam multipli ad quam non sufficiebat, occupatione impeditus vestimenta fratribus ægre, confuse, insufficienter providebat, nec juxta apostolicam et sancti Benedicti Regulam, vestimenta fratribus distribuebat prout cuique opus erat.

Eapropter priori Cluniacensi ex majori parte hæc cura imposta est ut tunicas, hoc est, vulgari nomine froccos, cucullas, pellicias, agnina caputia vel capellos, stamineas, femoralia, flumas, hoc est, operaria pulvinariorum, universis fratribus in Cluniaco manentibus sufficienter provideat. Ut autem hæc sibi injuncta plene facere posset, decretæ sunt

A ei viginti marcæ argenti de censu Italico, viginti de censu Hispano, viginti de quodam manerio Anglico quod dicitur Opifortis, et quindecim marcæ de manerio quodam Angliae quod dedit comes Eustachius, et salvo hoc Cluniacensi censu, ad Rumeliam monasterium, quod et ipsi Cluniacensi Ecclesiæ dederat, voluit pertinere. Datus est ei insuper et totus Provinciæ census, qui ad Cluniacensem cameram pertinere solebat, a prioratu de Terniaco, qui est super Rhodanum, et ab illo de Talviaco usque ad Alpes provinciæ et usque ad mare cum eorumdem prioratum censu. Hæc priori Cluniacensi imposita sunt.

Trabucos vero et pedules fratrum primo custodi operis novæ ecclesiæ imposui, cujus redditibus quos habebat in Anglia propter novas emergentes guerras deficientibus, camerario quod ille solitus erat facere injunxi, ut trabucos et pedules fratribus provideret de trecentis solidis gatgeriæ Humberti Ungri, quam nobis, dum Jérusalem iret, pro quatuor millibus solidorum, quos a nobis accepit, in vadimonio dedit. Illam gatgeriam ego decano de Lordono concessi tali modo ut omnes fructus et redditus jandictæ gatgeriæ acciperet, et inde præfatos solidos ad ea quæ supra nominata sunt camerario redderet. Si autem gatgeria illa redempta fuerit, et custos operis majoris Ecclesiæ de centum marcis de Ledecumba manerii quod rex Anglorum Stephanus meo tempore Cluniacensi Ecclesiæ dedit sexaginta saltem marcas habere potuerit, sicut prius facere solebat, trabucos et pedules universis fratribus provideat.

SUMMORUM PONTIFICUM

HONORII II, INNOCENTII II, LUCII II, EUGENII III,

PRIVILEGIA QUÆDAM

Monasterio Cluniacensi concessa tempore Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis noni.

Biblioth. Cluniac., p. 1378.)

I.

D Incomprehensibilis, etc. Vide in Honorio II aa
an. 1130, Patrologiæ t. CLXVI.

Quod nullius, absque consensu domini abbatis, Clun.
in abbatiis eidem subjectis electio fiat. Item quod
non fiat abbatia de prioratu.

(Anno 1125.)

HONORIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto
in Christo filio PETRO abbati venerabilis monasterii
Cluniacensis, ejusque successoribus regulariter sub-
stituendis in perpetuum.

II.

Monasterium Cluniacense qui die dedicationis altaris
majoris adierint, iis paenitentiæ susceptæ dies xl
remittit Innocentius II.

(Anno 1132.)

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dis-
creto filio PETRO Cluniacensi abbati, ejusque suc-

cessoribus regulariter substituendis in perpetuum. A lecto filio abbatii Cluniacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Liberalitatis laudabile genus est, etc. *Vide inter epist. Innocentii II, Patrologiae t. CLXXIX, sub nūm. 89.*

III.

Ejusdem Innocentii II aliud diploma.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Liberalitatis laudabile genus, etc. *Vide ubi supra.*

IV.

De possessionibus non alienandis, et censibus non minuendis.

(Anno 1136.)

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis et episcopis, in quorum parochiis proventus et obedientiae Ecclesiae Cluniacensis existunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea quæ in Ecclesiarum præjudicium, etc. *Vide ubi supra, ad an. 1136.*

V.

Contra rebelles, et de institutionibus observandis per abbates.

(Anno 1136.)

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, di-

B

Confirmatio Lucii papæ de terminis circa Clun. ut ecclesiæ, cimiteria, monachi, clerici et laici universi infra terminos in protectione papæ sint.

(Anno 1144.)

LUCIUS episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio PETRO Cluniacensi abbatii, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Religionis monasticæ, etc. *Vide in Lucio II, ad an. 1145.*

VI.

Eugenii Papæ III confirmatio, quod nullus homo cujuscunque conditionis ac potestatis invasionem, prædam, aut rapinam facere, sive homicidium perpetrare infra terminos inferius scriptos non præsumat.

(Anno 1145.)

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, charissimo filio in Christo PETRO Cluniacensi abbatii ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Cum omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis, etc. *Vide in Eugenio II, ad an. 1153.*

SUMMORUM PONTIFICUM

REGUM, ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM

DUCUM ET ALIORUM,

DIPLOMATA ET CHARTÆ,

De quibusdam abbatiiis, prioratibus, ecclesiis, etc., Cluniacensi cœnobio concessis aut confirmatis tempore Petri Venerabilis, abbatis Cluniacensis noni.

(*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 1587.)

I.

Charta D. Adalberonis Leodiensis episcopi de Bertrées.

(Anno 1124.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego ADALBERO, gratia Dei Leodiensis episcopus, notum facio præsentibus et futuris fidelibus nostris quod Walterus de Trudignei liber homo tradidit S. Petro et fratribus Cluniacensis monasterii ecclesiam de Bertrées cum omnibus usibus, decimis, et cæteris appendiciis suis, in Hanua, et in Puceis, et in Trudeneis et in Eurenais, pro salute animæ suæ et ani-

marum patris et matris suæ, ea idem conditione, ut fratres, quos abbas Cluniacensis ibi Deo servituros transmiserit, ipsam, et quidquid ad eam pertinet, ita libere teneant, sicut tenebat ipse Walterus, et per singulos annos tantummodo unum aureum denarium Leodiensis monetæ in Pascha ipsi fratres persolvant ad altare S. Petri ecclesiae Cluniacensis. Homines vero, qui de terra ipsius ecclesiae beneficiati sunt, et fidelitatem inde secerunt Waltero, ipsam terram de manu prioris ecclesiae requirat, et fidelitatem et servitum idem priori ipsius ecclesiae faciant. Districtio quoque villæ ad ecclesiam perti-

nebit, ita ut Godescalcus frater ipsius Walteri, qui A quam ad aliorum usus conferantur, vel in potesta-
advocatus est ejusdem allodii, medietatem ipsius
districtionis de Ecclesia teneat, et per hoc ipsam
Ecclesiam, et quidquid ad ipsam pertinet, ab omni-
bus, iustitiis defendat. Restaurationem similiter
sancto Petro et ipsis fratribus dedit, ita ut medie-
tam ipsius restaurationis Ecclesia, medietatem ipse
advocatus teneat. Medietatem etiam Chorvedæ, quæ
ipsius Walteri erat, eis concessit. Alia enim medie-
tas pertinet ad Ecclesiam et abbatem S. Laurentii.
Molendinum quoque de Bavigneis cum omnibus
usuariis suis, ei medietatem silvæ de Trudineis ad
integræ, sicut in suos usus et in dominium tene-
bat, ipsis fratribus dedit. Advocatiam dedit Gode-
scaleo fratri suo, et posteris ejus, ea conditione ut
ipsam advocatiam teneat ab Ecclesia Cluniacensi,
et de manu prioris, quem abbas de Cluniaco ibi
transmiserit, et ut nullus ibi sit advocatus neque
subadvocatus, præter ipsos, et libertatem ipsius
allodii inviolabiliter custodiant, et a malis homini-
bus defendant. Ita enim liberum erit ipsum allo-
dium, et justitiam suæ libertatis refinebit ipsa
Ecclesia cum omnibus appendiciis suis, ut præter
quod constitutum est advocato tenere de ipsa Eccle-
sia, id est medietatem districtionis villæ, et medie-
tam restaurationis, nullum jus, nullamque po-
testatem, aut dominium, seu violentiam in ipsum
allodium, et in homines ad ipsam Ecclesiam pér-
tinentes exerceat. De omni quoque iustitia quæ fiet in
ipso allodio, de qua prior ejusdem Ecclesiæ placitare C
debet cum fratribus et hominibus suis, nihil ad eum
pertinebit, nisi forte ad faciendam vel retinendam ju-
stitiam, quam per se illi diffinire non poterunt, advo-
cetur, et lunc de ipsa justitia, quam fecerit, duos dena-
rios fratres habebunt, ipse tertium habebit denarium.
De medietate autem silvæ, quam dedit idem Walterus
ipsis fratribus, si quis iustitiam fecerit, pro justi-
tia exigenda, duos denarios similiter fratres habe-
bunt. Advocatus semper ipsius silvæ tertium acci-
piet denarium. Quicunque autem ad altare ecclesiæ
pertinent, et censem ibi persolvunt, nihil autem ad
advocatum pertinebunt; nullum jus nullamque po-
testatem advocatus super eos habebit, nec impici-
bit, neque violentiam de ipsis Ecclesiæ faciet, nec
ad exigendam de illis justitiam cum priore sedebit, D
tunc, ut dictum est, præfata ab ipso justitia tertium
habebit denarium. Et hoc quoque statutum est ut
prior ipsius Ecclesiæ cum fratribus suis ad nullum
alium pertineat, vel alicui cellæ appendat, nisi ad
abbatem et priorem Cluniacensis monasterii. Quod
si aliter abbas Cluniacensis facere voluerit, scilicet,
ut sub providentia vel potestate alicujus cellæ, vel
prioris alterius hanc transponat Ecclesiam, episco-
pus Leodiensis et advocatus prohibeat fieri, et in
defensione atque arbitrio sit eorum, hoc privilegium,
et hanc constitutionem retinere et tueri in perpe-
tuum. Bona vero quæ ad ipsam Ecclesiam sunt col-
lata, vel aliquando a fidelibus erunt confirmata, ad
usus fratrum ibi Deo servientium proficiant, nec un-

A quam ad aliorum usus conferantur, vel in potesta-
tem redigantur. Hanc igitur eleemosynam ipse Wal-
terius S. Petro dedit, et confirmavit, ut fratres ibi
Deo servientes, ipsum publice et privatim quotidie
habeant in orationibus suis, et quotidianam absolu-
tionem faciant ei. Et tam anniversarium suum
quam patris et matris suæ anniversaria in vigiliis,
et missis et in cæteris beneficiis suis devote reco-
lant. Quæ constitutio, sive traditio, ut rata et incon-
vulsa permaneat, hanc ad posterorum memoriam
sine confirmatione præsenti scripto mandavimus, et
in generali synodo cum consensu sanctæ Leodiensi
Ecclesiæ episcopali auctoritate firmavimus, et
nostro sigillo corroboravimus. Testes, qui idonei
sunt adhibiti, et in hac charta conscripti : Andræas
præpositus et archidiaconus, Alexander, Henricus
archid., Almannus archid., Stepo archid., Arnulfus
canonicus S. Lamberti, Willelmus, Henricus, Stepo
scholasticus; ex nobilibus atque illustribus viris,
Godesfridus comes Namurensis, Gislibertus comes de
Duraschio, Lambertus comes de Monte-Acuto, liberi
homines; Godescalcus advocatus ejusdem allodii,
Adelo Namurcensis, et plures alii.

B Actum Leodii, anno Incarn. 1124, ind. II, re-
gnante Henrico IV, anno imperii ejus xxv, sub Adal-
berone Leodiensi episcopo.

II.

*Charta Rainaldi Remorum archiepiscopi, de quita-
tione altaris de Turre super Materna.*

(Anno 1125.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Noverit
præsentium posterorumque solertia quod ego Rainaldus
Beigratia humilis et indignus Remorum archiepi-
scopus diu multumque laborans, qualiter altare de
Turre super Maternam, quod manu laicali indebita usur-
patione diu fuerat occupatum, adeo ut quidam poten-
tes de lagajotri partes oblationum, decimæ reddituum-
que ad idem altare provenientium municipibus suis
manciparent, illique, quod dedecorosius est, uxoribus
suis et filiabus in matrimonium contraderent, tan-
dem auxiliante Spiritu sancto, qui spirat ubi vult,
me tali conditione ab eisdem invasoribus retraxisse.
Cum enim sæpissime jam dictos dominos de Plaga-
jotri adnionerem, et modis omnibus illis persuade-
rem quod a possessione sanctuarii Dei quod diu in-
juste possidebant secederent, ne Crucifixi patrimo-
nium injuste et violenter usurpando, æternam in-
currerent damnationem: demum nostra crebra ad-
monitione et persuasione permoti, nostroque ac-
quiescentes consilio, supradictum altare eo tenore
resignaverunt, videlicet, ut illud sanctæ Cluniacensi
Ecclesiæ, quæ est quasi quoddam magnum totius
orbis luminare, liberaliter impetrer, cum oblationi-
bus et decimis, cæterisque ad se pertinentibus,
atque jam dicti cœnobii venerabilibus fratribus per-
sonaliter tenendum concederem. Quorum justæ et
religiosæ petitioni prompto et devoto annuens ani-
mo, ut omnium bonorum, quæ in tanta fuerint
congregatione particeps esse mererer, memoriam

altare ipsis jure perpetuo personaliter possidendum contradidi cum omnibus ad ipsum pertinentibus : hac solum interposita pactione, jam dictis dominis de Plagajotri id humiliter postulantibus, quatenus presbyter loci illius, qui per eos tunc personatum parochiamque tenebat, quoad vivet, nisi forte propriis exigentibus culpis, ea amittere contingeret, libere et quiete possideat. Eo autem viam universæ carnis ingresso, sive pro qualibet rationabili causa, a supradictis remoto, Ecclesia Cluniacensis, quod suum est, videlicet altare et personatum cum suis pertinentiis jure perpetuo possidendum reciperet, liberam deinceps habens facultatem substituendi in eadem Ecclesia, dum tamen idoneus sit, quem voluerit sacerdotem. Qui nobis vel successoribus nostris per successionem temporis, ut moris est, præsentatus, postquam animarum curam suscepit, fidelitatem eis faciet, et debitam reverentiam exhibebit, salvo jure suo in iis quæ ad feodum presbyterii pertinere noscuntur. Et ut hæc rata et inconvulsa permaneant, sigilli nostri auctoritate corroborare curavimus.

Signum venerabilis archiepiscopi Rainaldi.

S. Joyranni abbatis Sancti Nicolai.

S. Ursi abbatis Sancti Dionysii.

S. Hugonis archidiaconi.

S. Leonis cantoris.

S. Albrici magistri [Ambrosii magistri.]

S. Joannis de Pi.

S. Joannis de Germania.

S. Liberti decani.

S. Odonis decani civitatis.

Actum Remis anno incarnati Verbi 1125, indict. III, regnante Ludovico rege Francorum, anno XVIII, archiepiscopatus autem domni Rainaldi anno I.

Fulcradus cancellarius scripsit et subscrispsit.

III.

De presbyterio de Turre super Maderna [Materna].

(Anno 1125.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Noverit præsentium posterorumque solertia diuturnam contentionem inter presbyterum Turrensis Ecclesiæ, et inter monachos Clun., quorum est ipsius villæ parochia, a domino Rainaldo venerabili Remensis archiepiscopo ita esse compositam, ut prænominatus presbyter ea omnia, super quibus querimoniam agebat, tractum videlicet decimæ, stramem quoque et fenum, et minutam decimam abdicavit. Unde etiam pacis et concordiae gratia saepetato presbytero concessum est ut singulis Dominicis de missæ celebratione ex communi oblatione panem, vinum et donarium medietatem quoque oblationis parochianorum ad beneficium presbyteratus pertinentium habeat; reliqua omnia sint monachorum. Porro secunda feria ex his omnibus

A quæ in missarum celebationibus ad manum ejus venerint, medietatem accipiat; reliquis diebus, si non plus quam tres denarios oblatio valuerit, sibi retineat; quidquid vero hunc numerum excesserit, cum monachis dividat. De eleemosynis autem et dimissionibus, quas obituri facient, hoc ordine procurabit, ut adhibitis sibi testibus legitimis parochia num commoveat, primo quod ipsis monachis, utpote in capite sanctuarii constitutis, pro animæ suæ remedio dimittat. Omnia hæc, ut supra taxatum est, salvo jure privilegii sæpedictæ Turrensis Ecclesiæ reformandæ, ac perpetuæ pacis gratia a prædicto venerabili archiepiscopo Rainaldo decreta, chirographi descriptione, et episcopalis sigilli impressione, testium quoque probabilem, et authenticarum personarum annotatione firmata sunt.

B Signum ejusdem venerabilis archiepiscopi R.

S. Lojranni [Joyranni] abbatis Sancti Nicolai.

S. Ursi abbatis Sancti Dionysii.

S. Hugonis archidiaconi.

S. Leonis cantoris.

S. Ambrosii magistri.

S. Joannis de Pi.

S. Joannis de Germania.

S. Odonis decani civitatis.

S. Liberti decani.

C Actum Remis, anno incarnati Verbi 1125, indict. III, regnante Ludovico rege Francorum anno XIX, archiepiscopatus autem domni Rainaldi anno primo.

Fulcradus cancellarius scripsit et subscrispsit.

IV.

Charta Ludovici regis, de S. Petro de Pitueris.

(Anno 1130.)

D In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum, omnibus tam futuris, quam præsentibus, notum fieri volumus quod quidam miles, nomine Gilbertus, cognomento Strangulatus, pro remedio animæ suæ, ecclesiæ S. Petri Pituerensis (255), et monachis in ea Deo famulantibus, ubi ad conversionem venerat, dedit quamdam terram, scilicet alodia sua de Verinis perpetualiter obtinendam. Placuit autem postea eisdem monachis Ecclesiæ suæ utilitati providentibus, ut ad terram illam excolendam et hospitandam, nos in ea partipem admitterent, ita videbilet, ut de cunctis redditibus illius terræ, et de omnibus exactionibus et talliis, cæterisque aliis consuetudinibus medietatem caperemus. Præterea si per emptionem aliquod eidem terræ adcrementum in posterum acquiri poterit, nos medietatem pecuniæ dabimus, monachi vero alteram dimidiam persolvent partem. De majoribus quoque ac servientibus, ita decrevimus, quod aliquis major, sive prepositus in prædicta terra, absque licentia et assensu monachorum nullomodo

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(255) Cluniae, cœnob. immediate dependentis.

constituetur, et eisdem monachis unusquisque A eorum suam faciant fidelitatem. Illud etiam statutum est et concessum, quod aliquis de hospitiis et hominibus prædictæ terræ, pro aliquo forisfacto, nisi in ipsa terra, aut in curia monachorum, nullomodo alibi ad justitiam vocabitur, aut in causam trahetur. Hoc autem ne per succendentia tempora posset oblivione deleri, aut a posteris insirmari, annuente Philippo filio nostro jam in regem coronato, scripto commendavimus, et sigilli nostri auctoritate nominisque charactere firmavimus, astantibus in palatio nostro, quorum nomina subscripta sunt, et signa.

S. Philippi junioris regis.

S. Ludovici buticularii.

S. Hugonis constabularii.

S. Manassæ camerarii.

Actum est hoc anno incarnati Verbi 1150, regni vero nostri xxii.

Data per manum Simonis cancellarii.

V.

Chartera Ludovici regis, de pedagio quod est apud Monasteriolum, et super exactiōibus, quas dedit Ecclesia Cluniacensi.

(Anno 1150.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum, omnibus tam futuris quam præsentibus, notum fieri volumus quod sarjetæ Cluniacensi Ecclesiæ, et annuente Philippo filio nostro jam in regem coronato, et Adelaide regina, pro remedio animæ nostræ et antecessorum nostrorum, in perpetuum dedimus et concessimus ut nullus Cluniacensium fratum tribuat amplius pediale apud monasteriolum, neque aliquam consuetudinem, quæ ad regale pertineat ministerium. Præcepimus etiam ne quis regalium ministrorum a quoquam prædictorum fratum ullo modo deinceps hoc requirat. Quod si quis præsumperit, non solum se reum divinæ majestatis, verum etiam decreti nostri transgressorum cognoverit. Hoc autem, ut ratum sit, scripto commendavimus, et sigilli nostri auctoritate nominisque charactere firmavimus, astantibus in palacio nostro, quorum nomina subscripta sunt et signa.

S. Philippi junioris regis.

S. Ludovici buticularii.

S. Hugonis constabularii.

S. Manassæ camerarii.

Dapisero nullo.

Actum anno incarnati Verbi 1150, regni nostri xxii.

Data per manum Simonis cancellarii.

VI.

De centum marcis in Anglia.

(Anno 1151.)

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio PETRO Cluniacensi abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Donationes et beneficia, etc. Vide in Innocentio II, ad an. 1143.

VII.

Chartera Ambroniacensis.

(Anno 1152.)

Veritas rerum gestarum, si memoriæ causa scriptis solemniter commendata servetur, non vilis auctoritas est. Hac igitur commodante, posteris nostris scriptis notificare curavimus, quod ego Hisinio dictus Ambroniacensis abbas, et dominus Petrus Cluniacensis abbas in præsentia domini papæ Innocentii ita convenimus, et pacto in manu ejus firmavimus, ut controversia, quæ de loco de Prins inter nos fuerat, arbitrio et consilio domni Ilionis Sancti Justi abbatis terminaretur. Unde consilio habito, placuit domino Ilioni, et cæteris qui cum eo aderant, B item nostram concordia sic dissiniri, ut locum illum de Prins Ecclesia Cluniacensis jure proprietatis haberet, Ecclesia vero Ambroniacensis sepulturam, decimas atque oblationes fundi supradicti, quantum ad parochiam suam pertinet, jure parochiali obtineret, præfer familiæ propriæ sepulturam, et propriæ domus decimas : de quibus sic dissinuitum est, ut septem asinatas segulæ Ecclesiæ Ambroniacensi pro omnibus propriis decimis per singulos annos fratres loci illius persolverent ; sepulturam vero propriæ familiæ suæ liberam haberent, nisi forte aliquis mercenarius eis fuerit de parochianis nostris, qui se in parochia sua sepeliri deliberet, illius vero extremæ voluntati nemo obsistat. De parochianis quoque Ambroniacenses nullam sepeliendi facultatem habeant, nisi ducente, vel consentiente cuius erit parochianus presbytero. Salva autem consueta militum libertate, et uxor cum filiis corum, et filiabus, qui ubi voluerint sepeliri possunt. Si autem ex alia parochia aliquis sepeliri se in loco illo disposuerit, vel aliquis de parochianis Ambroniacensis Ecclesiæ, pro salute animæ suæ, de mobilibus, sive de immobilibus aliquid fratribus loci illius offerre voluerit, terris nostris exceptis, ex conventione nostra jure concessionis obtineant. Hujus rei testes sunt :

Domnus Ilio, per cuius manum facta est, Matthæus Albanensis episcopus, Stephanus de Condaco, Willelmus de Marciaco, et multi alii.

D Actum est Lugduni, anno Incarnationis Dominicæ 1152, pontificatus vero domini Innocentii papæ II anno secundo.

VIII.

Innocentii II papæ diploma, super obedientia de Liman.

(Anno 1152.)

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, charrissimo in Christo filio PETRO Cluniacensi abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Quæ ad pacem spectant Ecclesiæ, etc. Vide in Innocentio II, ad. an. 1143.

IX.

Confirmatio SS. Facundi et Primitiani [Primitivi] in Hispania.
(Anno. 1155.)

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio PETRO Cluniacensi abbatii, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Ignem venit Dominus, etc. *Vide ubi supra.*

X.

Charta de Ledecomba [al. Labdecombe] in Anglia, et de centum marcis argenti.

(Anno. 1156.)

STEPHANUS rex Anglorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus et omnibus fidelibus suis per Angliam constitutis, salutem.

Sciatis quoniam venerabilis memoriæ rex Henricus B avunculus meus et antecessor meus pro anima patris sui, avi mei, et animabus patrum et prædecessorum nostrorum dedit in elemosynam omnibus annis Deo et ecclesiæ Beati Petri de Cluniaco centum marcas argenti de proprio thesauro suo. Ego vero honorum ejus actuum ex debito sicut subsecutor, sic et devotus imitator, et ex gratia supernæ miserationis sedulus imperator, quod præfatus avunculus meus prædictæ Ecclesiæ in denariis constituit de thesauro suo, hoc ego eidem ecclesiæ in subscriptæ terræ stabilitis redditibus in perpetuum assigno, et manerium meum de Ledecomba, quod de proprio dominio meo est, pro illis centum marcis argenti illi Ecclesiæ in sempiternum dono et concedo. Quia volo et firmiter præcipio quod Cluniacus teneat manerium illud cum omnibus consuetudinibus et appendiciis in terris et proprio cum omnibus quietationibus et libertatibus, et rebus illi manorio pertinentibus, quas ipsum manerium liberius habuit, quando fuit in manu mea et antecessorum meorum. Et ut hæc donatio mea rata et inconsulta illi sine fine ecclesiæ perduret, præsentis sigilli mei attestatione, et subscriptorum subnotatione confirmo et corroboro.

Apud Wintoniam, anno Incarn. Dominicæ 1156, regni vero mei primo.

- S. Stephani regis.
- S. Mathildis reginæ.
- S. Eustachii filii regis.
- S. Henrici de Soilli.
- S. Henrici episcopi Wintoniensis.
- S. Rogeri episcopi Sarisb.
- S. Alexandri episcopi Lincoln.
- S. Nigelli Eliensis episcopi.
- S. Alani comitis Richemundiæ.
- S. Rogeri comitis Warwici.
- S. Alberti de Ver.
- S. Roberti de Ver.
- S. Alberti de Laci.

XI.

Confirmatio de Labdecombe.

HENRICUS Dei gratia rex Anglorum, dominus Hiberniæ, dux Northmanniæ et Aquitaniæ, comes An-

A degav. archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicariis, præpositis, ministris, et omnibus baillivis, et fidelibus suis, salutem.

Inspximus confirmationem H. regis avi nostri in hæc verba : Henricus Dei gratia rex Anglorum, dux Northmanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegav. archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitib. baronibus, justitiariis, vicariis, et omnibus fidelibus suis, Francis et Anglis totius Angliæ, salutem. Sciatis quod ego concedo et confirmo Deo et Ecclesiæ S. Petri Cluniacensis, et monachis ibidem Deo servientibus, manerium de Ledecumbe in perpetuam eleemosynam pro salute regis H. avi mei, et omnium antecessorum meorum, et pro propria salute mea, quod manerium rex Stephanus dedit et assedit eis pro centum marcis quas prædictus rex Henricus solebat dare annuatim eidem Ecclesiæ Cluniac. Quare volo, et firmiter præcipio quod prædicta Ecclesia, et monachi idem manerium bene, et in pace, et libere, et quiete, et honorifice in perpetuum teneant in omnibus pertinentiis suis in bosco et plano, et pratis, et pasturis, et aquis, et molendinis, et stagnis, et hominibus, et tenuris eorum et cum omnibus libertatibus suis, sicut unquam melius, et plenius, et liberius tenuit illud rex Henricus in manu mea. Testes :

R. Winton. episcopus, G. Eliens. episcopus, Joannes Northw. episcopus, H. episcopus Dunelm, Willermus comes de Arundel., comes de Mandevilla, C Richardus de Lucy, Richardus de Camvill., Rand. de Glamvill., Hugo de Cressey, Thomas de Bardum, Bertramus de Verdum, Willelmus filius Radulphi, Radulphus Briter. : Apud Northampton.

Nos igitur hanc concessionem ratam et gratam habemus, et eam abbati Clun. et monachis ibidem Deo servientibus pro nobis et hæredibus nostris concedimus et confirmamus. His testibus venerabilibus Patribus W. Karleol. et W. Wigorn. episcopis, Joanne comite Lincoln constabulario Cestriæ, Simone de Monteforti, Willelmo de Ralegh, Petro de Malo lacu, Joanne filio Galfredi, Amaurico de S. Amando, Galfrido dispens. Willelmo Gernum et aliis.

Datum, per manum venerabilis Patris R. Cisterciensis episcopi, cancellarii nostri, apud Westmonasterium, xxii die Januarii, anno regni nostri XXII.

XII.

Innocentii II, papæ diploma, super Manorio de Letdecumba in Anglia.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectio filio PETRO Cluniacensi abbatii ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum.

Ad hoc in apostolice sedis regimine, etc. *Vide in Innocentio II, Patrologie tom. CLXXIX*

XIII.

Confirmatio de Rochabovecurt.

(Anno 1136).

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio PETRO Clun. abbatii, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Bonus et diligens paterfamilias, etc. *Vide ubi supra.*

XIV.

Confirmatio Montis-Desiderii cum pertinentiis suis.

(Anno 1156.)

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio PETRO Cluniacensi abbatii, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Bonus et diligens paterfamilias, etc. *Vide ubi supra.*

XV.

De concessione duorum altarium in episcopatu Ambianensi.

(Anno 1158.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen. GUARINUS Dei gratia Ambianensis humilis episcopus, sanctæ Ecclesiæ filiis præsentibus et futuris, feliciter niti ad bravium supernæ vocationis.

Seiat charitas et dilectio vestra, quoniam Bernardus de Ballolio miles strenuus, consiliis divinis et hortatibus nostris, et religiosorum virorum sapienter acquiescens, et animabus prædecessorum suorum, et propriæ saluti, et successorum suorum provide consulens, quædam altaria ad ipsum, et ejus antecessores hæreditario jure pertinentia, quæ licet injuste, utpote laicus, ad periculum animæ suæ, diu ipse tenuerit, monasterio Cluniacensi, Dei tactus aspiratione, concessit. Huic autem concessioni fratres ejus, et uxor sua Mathildis, et filii ejus Ingelrannus, et Wido, Eustachius, et Bernardus, et filia sua Hatuidis interfuerunt, et ob remedium animarum suarum assensum libentissime præbuerunt, eademque altaria in manibus nostris reddentes, libere et quiete spontanei dimiserunt. Nos autem Cluniacensis monastérii religionem considerantes, in præsencia archidiaconorum nostrorum, Radulphi videlicet et Balduini, et clericorum Achardi et Valteri sacerdotum nostrorum, et aliorum multorum, tam clericorum quam laicorum, religiosorum, et multorum hominum suorum, eadem altaria donavimus, salvis Ecclesiæ Ambianensis, nostrisque, et successorum nostrorum, et ministrorum, sicut ipsa altaria ab antiquo persolverant, consuetudinibus, et episcopali auctoritate in perpetuum confirmamus, ita scilicet ut monachi, qui in Ecclesia de domino Petro Deo servirent, Cluniacensi capitulo marcām unam argenti singulis annis persolvant, et sic ipsorum omnes altarium redditus in usus suæ Ecclesiæ, et in expensas suas, libere et quiete possidendo retineant, Ecclesiam scilicet de domino Petro, altare de Ballolio, altare de Turs, altare de

A Ardicuria, altare de Ramburellis, altare de Alenai.

Actum hoc anno Dominicæ Incarnationis, 1158, indictione II feliciter. Amen.

XVI.

Confirmatio domus Montispessulanæ, et S. Gervasii, et S. Renoberti.

(Anno 1158.)

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio PETRO abbatii Cluniacensi ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Quos omnipotens Dominus, etc. *Vide in Innocentio II; Patrologiæ t. CLXXIX.*

XVII.

Compositio inter Cluniacum, et S. Benedictum super Padum.

(Anno 1140.)

B INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatii et conventui Clun., salutem et apostolicam benedictionem.

Venientibus ad apostolicam sedem, etc. *Vide ubi supra.*

XVIII.

Donatio ecclesiarum de Barbona, et de Lintis, et Lintelis, uniusque præbendæ in ecclesia Sancti Petri Trecensis, per dominum Hatonem episcopum.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, HATO Dei gratia Trecensis Ecclesiæ humilis minister, omnibus fidelibus in perpetuum.

C Summa Dei virtus sapienter cuncta gubernans, ad informationem humanæ vitae misericorditer veniens, prudenter hoc providit, et juste pieque ordinavit, ut qui ecclesiasticis sunt intenti servitiis, ecclesiasticis jure prosequantur beneficiis. Quidquid ergo ad utilitatem servorum Dei efficere contendimus, profuturum nobis ad æternam beatitudinem promerendam confidimus. Quocirca notum fieri volumus, tam præsentibus quam futuris fidelibus, quod charissimi nostri fratres Cluniacenses ad nos humiliter accedentes, petierunt, ut pro amore Dei aliquod beneficium illi sanctissimæ domui Cluniacensi impertiri dignaremur. Siquidem justa potentibus aures claudere divina pietas non permittit, proinde considerantes piam eorum esse petitionem, illorum petitionibus gratauerunt annuimus, atque ecclesiam de Barbona, ecclésiamque de Lintis et Lintelis, perpetuo jure possidendas dedimus et concessimus, ita tamen ut Iterius presbyter, quædiu vixerit, quinque per singulos [annos], solidos Cluniacensi Ecclesiæ de Ecclesia de Barbona persolvat; et nepos meus Wiricus decem solidos in vita sua. Post mortem vero illorum, illæ prænominatæ tres Ecclesiæ in proprium deveniant monachorum, ita ut habeant liberam protestatem eligendi in eisdem Ecclesiis idoneos sacerdotes, quos Trecensi episcopo repræsentantes, curam animarum de ejus manu recipiant. Monachi vero de ecclesiasticis beneficiis, eisdem presbyteris mensurate provideant. Dedimus etiam Ecclesiæ Cluniacensi, laudantibus et concedentibus clericis nostris, petente hoc atque exigente papa Innocentio, unam

præbendam in ecclesia beati Petri Trecensis in perpetuum tenendam. Quod ne aliqua temporum vetustate aut personarum varietate mutaretur, vel infirmaretur, jussimus hanc chartam nostri sigilli auctoritate roborari, et nomina idonearum personarum, quæ interfuerunt, substitulari.

Signum Oddonis archidiaconi.

S. Manasses archidiaconi.

S. Fulconis archidiaconi.

S. Tegeri canonici.

S. Wirici nepotis episcopi.

XIX.

Confirmatio S. Remigii de Plaore [Plaiotro], de Barbona, de Lintis, de Lintellis, et de S. Silvestro in Trecensi diæcesi.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis PETRO abbati, et monachis Cluniacensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ vobis et fratribus vestris, etc. *Vide in Innocentio II, Patrol. t. CLXXIX.*

XX.

Confirmatio de Prins, cum suis pertinentiis.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis PETRO abbati et monachis Cluniacensibus in perpetuum.

Ex apostolicæ sedis administratione, etc. *Vide ubi supra.*

XXI.

Lucii papæ diploma de sancto Saba cum pertinentiis suis.

(Anno 1144.)

LUCIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio PETRO Cluniacensi abbatii, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Etsi Ecclesiarum omnium cura, etc. *Vide in Lucio II, ad an. 1145.*

XXII.

Eugenii III papæ diploma, de Calderia de Ledone.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis PETRO abbati Cluniacensi, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Quæ ab Ecclesiæ Dei fidelibus, etc. *Vide in Eugenio III, ad an. 1153.*

XXIII.

Charta Willelmi comitis, de concordia inter ipsum et dominum Petrum abbatem Cluniensem super Mauziacensi, et Celsiniaciensi monasteriis.

Quæ pro salute geruntur maxime litteris tradere, ne tractu temporis ab hominum cadant memoria, prudentium assuevit discretio. Notum sit itaque, quod ego Willelmus, Arvernorum comes, reformando pacem cum domino Petro Clun. abbate, et ejus fratribus pro injuriis, quas Mauziacensi monasterio, et Celsiniaciensi injuriose intuli, medietatem omnium letdarum, quæ in villa Reomensi, quoquo tempore acceptæ fuerint, libere prædicto monasterio Mauziacensi, et ejus habitatoribus dono, et in perpetuum possidere concedo. Verumtamen si quis

A prædictis habitatoribus, pro hac medietate letdarum controversiam moverit, ego idem WILLELMUS querentibus satisfaciendo monachos Mauziacenses in pace obtinere faciam. De foro vero cognominatœ de Charnac, medietatem omnium annonarum, ut salis, priori Celsiniensi, et ejus monachis; sed et censum annualem, qui ex terra, in qua forum sit, colligi poterit, in terra illa tantum, quæ beati Petri juris est, secundum quod unicuique hominum institutum est, vel fuerit, grataanter redbo, et in perpetuum habere concedo. Si quando (quod absit!) ego, vel qui sub potestate mea sit, aliquam injuriam in supradictis foris monachis vel eorum hominibus fecero, vel quis fecerit, si abbas Mauziacensis, vel prior Celsiniacensis, vel alius nomine eorum me emendare monuerit, infra quadraginta dies post admonitionem, eis satisfacere propria manu juro. Praevas insuper consuetudines, quas infra villam, de Charnac nomine, letdarum per me, vel per meos introduxeram, et cætera mala, quæ hominibus villa, vel priori ejusdem loci injuriose faciebam, dimitto. Similiter de Vareris, et de Brenac, et de aliis terris, quæ ad jus Celsiniensis, vel silvas occupando, vel devastando, invasi, eos supradicto priori et Ecclesiæ habitatoribus satisfacere cogam. Ad eamdem quidem pacem reformandam necessario accessit, ut ego et abbas Mauziacensis, nomine Eustachius, quos meliores ejusdem villa cognovimus, astringi præcepimus sacramento, ut consuetudines, quas pacifice pater meus in villa Mauziacensi obtinuerat, concorditer dicerent quibus essem contentus. Quod et ita factum est. Pro quibus consuetudinibus villam, et villa habitatores, sed et extraneos eentes et rediuentes, et res eorum in eadem villa depositas fideliter defendere curabo. Forum Mauziacense, et forum Celsiniarum, sicuti forum Riomense, et de Charnac fideliter defendam. Liberos etiam homines, qui ex villa abbatis ad meas transierunt, libere redire permittam. Terras, quæ ad jus Mauziacense pertinent, quas possidebant, si qui forte redire noluerint, abbas quibus voluerit, et quomodo voluerit, ordinet et disponat. Consuetudinarii vero ad propria revertantur, excepto uno, qui remanebit, prout statutum est. Si quas insuper terras ego, vel mei, ad jus Beati Austremonii pertinentes occupavimus, ego dimitto, et meos dimittere faciam. Si quis vero iustitiam pro aliquibus nostris facere noluerit, ad exigendum jus abbatii non ero [deero]. Hanc litis transactionem, et pacem feci in capitulo Cluniacensi ego Willelmus comes cum Petro abbatte ejusdem monasterii, et cum Eustachio abbatte Mauziacensi, et cum Petro priore Celsiniacensi, præsente conventu ejusdem monasterii, et Ademauro, et Stephano de Castello, et Stephano de Ermonense, et Bertrando Rigaldello, et aliis multis. Hanc etiam chartam tenorem hujus pacis continentem in æternum valitaram proprio sigillo muniri præcipio, et ut episcopus et capitulum Claromontense, sed et dominus papa, idem faciant, rogo et exopto.

XXIV.

Charta Adefonsi imperatoris Hispaniæ, de S. Vincentio de Salamanca.
(Anno 1153.)

Cum Scriptura nos omnibus bonum facere moneat Ecclesiis et ecclesiasticis viris, veris Dei cultoribus, est eleemosyna præcipue largienda, juxta illud Apostoli: *Dum tempus est, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Gal. vi*). Hujus rei gratia ego Adefonsus imperator Hispaniæ, una cum uxore mea Berengaria, grato animo, voluntate spontanea, pro mea, parentumque meorum salute, pro peccatorum nostrorum remissione, Cluniacensi Ecclesiæ in honore beati Petri fundatæ, et ejusdem ecclesiæ abbatii domino Petro, monachisque omnibus Deo ibi militantibus eorum successoribus in perpetuum, ecclesiam S. Vincentii de Salamanca, cum omnibus ejus hæreditatibus vel a me, vel ab aliis ei datis, ejusdem Ecclesiæ priore domino Aliuco, domnoque Berengario ipsius civitatis episcopo sugerentibus et concedentibus, jure hæreditario dono, et hæreditariam eis in perpetuum habendam concedo. Ita, inquam, prædictæ Clun. Ecclesiæ et prædicto abbatii domino Petro, ecclesiam S. Vincentii prænominatam dono, quatenus canonicalem habitum, qui modo ibi habetur, in habitum monachalem transvertat, et idem ecclesiæ, ac ejus possessionibus, ut Pater et dominus semper disponat, semper provideat. Si qua autem ecclesiastica sæcularisve persona huic meæ donationi contrarius in posterum venerit, et eam dirumperit, ab omnipotente Deo maledictus, in inferno cum Juda proditore damnetur, nisi resipuerit; insuper pro temerario ausu hæreditate Clun. Ecclesiæ duplicata, regiæ potestati mille marcas argenti pectet.

Facta charta Najaræ, iv Kal. Novembris, æra MCLXXXI, prædicto imperatore Adefonso imperante in Toletø, Legione, Sarragocia, Najara, Castella, Gallecia.

Ego Adefonsus imperator hanc donationem, quam in manu domni Guidonis Romanæ Ecclesiæ cardinalis et legati, Clun. Ecclesiæ de prædicta ecclesia S. Vincentii facio, dono, auctoritate confirmo et firmam ut stabilem omni tempore esse concedo.

Ego Berengaria imperatrix confirmo.

Ego Sancius imperatoris major filius

Ego Raimundus Toletanus archiepiscopus.

Ego Petrus Compostellanus archiepiscopus.

XXV.

Confirmatio S. Vincentii de Salamanca in Hispania.

A

XXVI.

Charta domni Frederici imperatoris super Balmensi monasterio.
(Anno 1153.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Frede-
ricus divina favente clementia Romanorum rex Au-
gustus. Si religiosorum vota et petitiones clemen-
ter admittimus, et ad cultum divinæ religionis grâ-
tiosum favorem eis impendimus, tam temporalis
quam æternæ beatitudinis præmia felici commercio
nobis contrahere non ambigimus. Eapropter om-
nium tam præsentium quam futurorum solers no-
verit industria qualiter nos, ob reverentiam et peti-
tionem dilecti nostri Petri Venerabilis Cluniacensis
abbatis, statutum donationis, quod Cluniacensi Ec-
clesiæ de Balmensi cœnobio cunctisque possessio-
nibus collatum est, a reverendo videlicet Patre no-
stro papa Eugenio III, nec non ab Humberto Bisun-
tino archiepiscopo, seu a Willelmo Burgundiæ præ-
claro comite, nos quoque regia auctoritate corrobor-
amus, et confirmamus, et paginæ præsentis privi-
legio in æternum valitum, de nostro, ac regni do-
minio in Cluniacensis monasterii, et abbatum ipsius
dominium transactamus, salvo tamen jure, quo re-
gno eadem Balmensis Ecclesia subjecta esse co-
gnoscitur. Regia nihilominus auctoritate præcipi-
mus, ut eadem Ecclesia nullum advocatum habeat,
nisi quem Cluniacensis abbas eligere voluerit; et
ut omnia firma et inconcussa pace retineat, quæcun-
que temporibus Alberici abbatis possedit, vel quæ
eo tempore possidebat, quo eam Cluniacensis abbas
regendam suscepit. Jubemus etiam, ut quicunque
ex jure Balmensi abbatii cùm hominum faciebant,
Cluniacensi abbatii absque ulla contradictione modo
similiter faciant. Ipsam quoque Balmensem Eccle-
siam, et omnia ad eam pertinentia, ob salutem ani-
mæ nostræ, et omnium parentum nostrorum, in
tuitionem nostram suscepimus, regia auctoritate
prohibentes, ne aliqua magna vel parva persona ab
hominibus ejusdem Ecclesiæ districtum, vel ali-
quam exactionem exigat, nec Balmenses monachos a
perquirendo jure suo in propriis possessionibus im-
pedire præsumat. Ex quibus quasdam propriis ne-
cessarium duximus exprimendas vocabulis: Mon-
asterium videlicet S. Mariæ Grandisfontis cum om-
nibus appendiciis suis; monasterium S. Petri Gau-
dæ cum omnibus appendiciis suis; monasterium S.
Mariæ infra urbem Bisuntinam, quod vocatur Vis-
sanum, cum omnibus appendiciis suis; monaste-
rium S. Eugendi Ethicæ; monasterium S. Lauren-
tii; monasterium S. Desiderati, Ledonens, cum om-
nibus appendiciis ipsorum, Musnet, Creancet, Nu-
viacum, Buvliacu, Sahomacum, et Lafrautem, S.
Mauritius, S. Robertus; monasterium S. Stephani
de Ponte; monasterium S. Agnetis, Sisincjacum,
capella Beneventum; monasterium Sciense, mona-
sterium de Dola, monasterium Strabon. Quæ om-
nia, cum reliquis acquisitis, vel acquirendis, Bal-
mensis Ecclesiæ, et per eam Clun. regia auctoritaté

CŒLESTINUS episcopus, servus servorum Dei, di-
lectis filiis PETRO Cluniacensi abbatii, ejusque fratri-
bus, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ex injuncto nobis, etc. Vide in Cœlestino II,
Patrologiæ t. CLXXIX.

confirmamus, et in perpetuum possidenda contradicimus, adjacentes, ut nullus hujus nostrae traditionis statutum infringere praesumat. Si quis autem in aliquo temere contraire tentaverit, regio banno subjaceat, et mille libras auri cameræ nostre persolvat. Et ut haec omnia æternaliter rata et inconvulsa permaneant, praesentein paginam sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Testes interfuerunt, quorum nomina subscripta cernuntur : Arnoldus Coloniensis archiepiscopus, Gunterus Spirrensis episcopus, Conradus Wormaciensis episcopus. Anselmus Havelburgensis episcopus, Conradus Augustensis episcopus, Wibaldus Corbeiensis abbas atque Stabulens. abbas, Henricus dux Saxonie, Henricus dux Bavariae, Bertoldus dux Karinthiae, Theodorus comes Hollandie, Heremanus palatinus Bcomes, Hugo comes de Tagesburch. Signum primi domini Frederici Romanorum regis invictissimi.

Ego Arnoldus cancellarius recognovi.

Datum Wormaciæ anno Dominicæ Incarnat. 1153, ind. I, III Idus Junii, regnante domno Frederico Romanorum rege gloriose, anno vero regni ejus II, in Christo feliciter. Amen.

XXVII.

Adriani IV, papæ diploma, De abbatia Balmen-si (254) in archiepiscopatu Bisuntinensi cum perti-nentiis suis.

(Anno. 1155).

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio in Christo PETRO Cluniacensi abbati, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Gloriosa et admirabilis, etc. Vide in Adriano IV, ad an. 1159.

XXVIII.

Charta Richardi Constantiensis episcopi super ecclesia de Morsalinis.

Ego RICHARDUS Dei gratia Constantiensis episcopus, a domno Petro Venerabili abbatte Cluniacensi expetitus, charta et sigillo meæ auctoritatis, confirmo concordiam quæ facta est inter abbatem et monachos Montisburgi, et ecclesiam et monachos S. Cosmæ de Ecclesia Morsalinarum, videlicet ut monachi Montisburgi duas partes decimæ frugum de omni terra quam habent monachi S. Cosmæ in Morsalinis, habeant et teneant, et in recognitionem x solidos Andegav. vel Rothom. priori et monachis S. Cosmæ annuatim reddant. Ipsa vero Ecclesia, et impositio sacerdotis, et ea quæ ad altare et cœmeterium pertinent priori et monachis S. Cosmæ libere et quiete remanebunt. Ut autem haec concordia inter prædictas Ecclesias rata et inconcussa maneat in æternum, præsentis paginæ testimonio, et sigilli mei auctoritate cum litteris domni Petri abbatis Cluniacensis eamdem concordiam confirmo. Hujus rei testes sunt Willelmus archidiaconus, Pe-

A trus capellanus, Robertus de Milleto, Unfredus de-canus, Willelmus Malaterra, Willelmus de Vernone, Richardus de Waravilla.

XXIX.

Alia charta super eadem Ecclesia.

Universis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit magister RICHARDUS episcopus, et PHILIPPUS archidiaconus Constantiensis salutem in Domino. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire quod causa quæ inter abbatem et monachos Montisburgi ex una parte, et priorem et monachos S. Cosmæ ex altera vertebatur super Ecclesia de Morsalin. nobis a sede apostolica commissa fuit in haec verba : ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro Richardo episcopo, et Philippo archidiacono. Conquerentibus dilectis filiis nostris abbatem et monachis Montisburgi ad audienciam nostram pervenit quod Willelmus prior et monachi S. Cosmæ Constantiensis diœcesis jus suum in ecclesia Morsalinarum injuste detinent, et reddere contradicunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus in præsentia vestra constitulis, quæ hinc inde proposituri fuerint audiatis, et causam inter ipsos, appellatione remota sine canonico terminetis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, etc. Datum Laterani x Kal. Maii, pontif. nostri an. iv. Hujus igitur auctoritate mandati partes ad præsentiam nostram convocavimus, et auditis hinc inde propositis, discordiam quæ inter ipsos pro memorata Ecclesia Morsalinarum fuerat, in hunc modum ad pacem et concordiam reduximus. Monachi Montisburgi duas partes decimæ frugum de omni terra quam habent monachi S. Cosmæ in parochia Morsalinarum libere et quiete in perpetuum possidebunt, et in recognitione x solidos Andeg. vel Rothom. priori et monachis S. Cosmæ annuatim reddent. Ecclesia vero ejusdem villæ et impositio clerici ad ea quæ ad altare et cœmeterium pertinent, cum tertia parte decimæ frugum priori et monachis S. Cosmæ, libere et quiete in perpetuum remanebunt. Facta est autem haec concordia assensu, et consensu Petri abbatis et fratrum Cluniacensium, et a partibus hinc inde in præsentia nostra sacramenti interpositione confirmata. Et ne super hoc in posterum querela denuo suscitetur, et quod canonice factum est recidivum patiatur, eamdem concordiam præsentis scripti auctoritate et sigillorum nostrorum appensione roburavimus. Test. Alveredo cantore, Rob. de Pererio canonico Constant., Petro capellano, Willelmo de Vernone, Richardo de Wallivilla, Roberto de S. Germano tunc vicecomite, Roberto venatore, Richardo de Saucerio, Willelmo de Han, Radulpho Gaam, et aliis multis.

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(254) Confirmaverunt et hanc abbatiam Clun. cœnobio Urbanus III, papa, anno Incar. 1185, pontificatus sui I, charta LXXIX. Clemens III, anno

1187. Pontif. sui I, charta xviii; et Cœlestinus III, anno 1191, pontif. sui I, charta lv.